

GENEROSISSIMI DOMINI
BERNARDI, COMITIS MARCHIÆ
Trevifanæ Liber.

*De secretissimo Philosophorum opere Chemico, per naturam
& artem elaborando.*



Vo veros inquisitores hujus artis à communibus erroribus retraham in veram semitam, ne suas facultates dilapident, laborumq; nominis & famæ jacturam faciant falsis librorum receptis insistentes, ut sunt Geberi, Rasis, Alberti Magni, Tramitis, Luminis, Canonis Pandectarū, Demophontis, Summæ, ac aliorum hominum seducentium, narrabo primum errores meos, ac deinceps quemadmodum ad optatum finem pervenerim, quaterque hisce propriis manibus lapidem fabricatus sim, & absolverim. Quo tandem & qui meum legerint processum, speculationibus & imitatione operum naturæ pariter efficere valeant. Fatuum esset cum vulgo judicare, propter Sophistas & impostores, quos in hac arte versari videmus indies falsam existere, vel ejus veros auctores, & sapientes suis scriptis imponere voluisse aliis, quia ipsi fuerint illusi, quin potius famam de se post mortem reliquisse voluerint, & non infamiam, aut vituperium. At ignarū vulgus hoc habet idioticæ proprietatis, ut mox à prima lecturâ, quod non intellexerit, contemnat. Proinde longe plus proficiet quicumq; per firmas imaginationes principia naturæ sequutus fuerit, quam litera vana & mortua sub ænigmatum figuris innumeris, ac sophisticis. Ut autem proborum sententias vobis colligam sincere pure tractantium, libellum hunc cōscribere volui, partiriq; in quatuor partes: quarū prima narrabit inventores artis, eosq; potissimum, qui hac potiti sunt ex voto, ac per quos ego adeptus sim. In secunda meam propriam historiam enarrans, dicam ad longum quicquid mihi contigerit in inquisitione temporis, & laborum onera citra ullam invidiam ab initio in finem omnia. Tertia de radicibus & principis differet metallorum, evidentissimis & philosophicis demonstrationib. Quarta vero practicam ipsam continebit, sub parabola non usque adeo obscura, quin optime possit intelligi. Singula quidem ad eum scripta modum, ut nisi Lector per hunc meum libellum intelligas, facile non crediderim

diderim